Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36815
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

111

accipi. quibus etiam illicita relaxantur. Item. Facientis proculdubio cul
pam habet. qui quod potest corrigere neglegit emendare. G. Virgilio E. arelatensi.
Quam pie desiderium voluntatis. Cellibertus francorum rex monasterium
virorum pro sua mercede constituens. quedam ibidem pro habitantium sustenta
tione concessit. Cuius ne voluntas umquam duceretur in irritum. et ea que pro
quiete monachorum disposita fuerant turbarentur. queque contulit iniu
ra eidem monasterii. epistolis suis apostolica petiit auctoritate firmari. Item.
Licet ea que simul apostolice sedis auctoritate sanctita sunt nil egeant
firmitatis. ex abundanti tamen cuncta que pro huius rei quiete a prede
cessore nostro Vigilio statuta sunt. nostra iterum auctoritate roboramus. apparibus inea.
Caput nostrum quod Christus est. G. Viterio Virgilio et Desiderio episcopis galliarum.
Vehementi tedio meroris afficimur. si in ecclesiasticis officiis quemquam habet
locum pecunia. et fit seculare quod sacrum est. Item. Sic autem is qui continuatus
renuit. quesitus refugit. sacris est altaribus admovendus. sic qui ultro
ambit vel importunum se ingerit. est proculdubio repellendus. Item.
Quia omnino grave sit facinus. dei donum velle precio comparare vel vende
re euangelica est testis auctoritas. Item. Cur non perpendit quia be
nedictio illi in maledictionem convertitur. qui ad hoc ut fiat hereticus promo
vetur. Item. Neque elemosina reputanda est si pauperibus dispensetur.
quod ex illicitis rebus accipitur. quia qui hac intentione male accipit ut
quasi bene dispenset. gravatur potius quam adiuvatur. Item. inus quoque decli
nandum est sub obtentu elemosine peccata symoniace hereseos perpe
trare. Item. Quicquid ultione dignum est. non ad imitationis sed potius de
bet ad exemplum correptionis adduci. Item. Cum his qui in sacro or
dine sunt constituti. habitare mulieres prohibentur. de quibus omnium diffinien
dum consensus est. ut preter eas quas sacri canones complectuntur. alias secum ha
bere mulieres non debeant. Item. Semel tamen in anno sine excusatione
aliqua decernimus concilium congregare. G. Aregio episcopo in Francia. inea.
ratnitatis vestre afflictio. Preterea in ea synodo. quam contra symoniacam
heresim per fratrem et coepiscopum Siagrium decernimus congrega[...]ri. sanctitatem
vestram volumus interesse. atque eidem fratri ita pallium quod tra[...]nsmisimus tri
bui. si prius se promiserit illicita que prohibemus per diffinicionem synodi a sancta
ecclesia removere. G. Siagrio E. augustudunensi. Magistra bonorum.
Secundum postulationis tue desiderium pallii te providimus usu honoran
dum. Cuius ne indumenti munificentiam nuda videamur quodammodo contulisse.